

B. M. II, 120.

n. 28, 10.

II R  
5216

DISPUTATIONUM HISTO-  
RICO POLITICARUM  
DE LEGATIS

Prima

De

LEGATORUM  
ANTIQUITATE, UTI-  
LITATE, NECESSITATE, ET  
VARIIS APPELLATIO-  
NIBUS.

*Quam*

DEO TER OPTIMO MAXIMO ANNUENTE  
ET

Approbante Ampl. Facult. Phil.

PRÆSIDE

M. HENRICO SANNEMANNO

Halberst. Facultat, Phil. Adj. & p. t.

DECANO,

*Defendet publicè*

MICHAEL FABER Camburgens.

*7. Maji.*

In Auditorio Majori.

J E N Æ

Typis VIDUÆ WEIDNERIANÆ,

ANNO: M DC XXXI.

299.

5





V I R O

*AMPLISSIMO, SPECTATISSI-  
MO ATQUE GRAVIS-  
SIMO*

Domino ERNESTO  
KRONBERGERO, Præfecto Al-  
stadii dexterrimo, Domino Affini, Fau-  
tori ac Patrono <sup>suo</sup> meo multis no-  
minibus honoran-  
do,

*exiguum hoc,*

offert  
dedicat



*Mich. Faber Resp.*





Disputationum Historico-Politicarum

De Legatis Prima.

Prooemium.

**I**nter omnia Reipublicae munera, quae quidem multa sunt, non ullum, neque officii necessitate & utilitate, neque rerum gerendarum, causarumque, magnitudine, varietate, atque difficultate, neque eorum, qui gerunt, prudentiam, consilio & industriam, neque dignitatis atque honorum splendore, atque amplitudine, cum uno Legationis munere conferri potest. Quam ob singularem praeceteris eminentiam corpora Legatorum Varroni l. 3. de latinâ lingua dicuntur sancta, & sanctum nomen eorum apud omnes Caesari l. 3. de bello Gallico. Quicciard. l. 5. histor. Legatos vocat oculos emissitios, aures & manus longas regnorum. Poeta eos ita describit:

*Vox Regum lingua salutis*

*Fœderis orator, pacis via, terminus iræ,*

*Semen amicitiae, belli fuga, litibus hostis.*

Hanc nobilissimam de Legatis materiam certis disputationibus includere, & ea, quae ibi occurrunt scitu necessaria, non modo rationibus sed exemplis & historiis confirmare, veterum ritus & caeremonias explicare, item Legationum apud populos hinc inde diversitatem, ex antiquitate eruere & demonstrare constitui. Occasio hujus laboris mihi fuit lectio Philippi Cominaei historici fidelissimi, quem nupere privatim nonnullis Dominis Studiosis explicavi & notis illustravi. Dicitur non potest quam egregia multaque experientia & usu confirmata praeccepta de legationibus in hoc autore extent. Sit igitur bono cum Deo

A 2

Cap. I.



CAP. I.

De Antiquitate, Necessitate & Utilitate  
Legationis.

THESIS I.

**L**egationum usus est antiquissimus.

Nonnulli Belo ascribunt: Belus autem Nini pater fuit: & ita cum primo rege cœpisse legationes.

Nam primam Regum Originem sub Nino scriptores tradunt: Justinus & alii. Josephus antiquiorem legatorum originationem facit, ad Deumque refert: qui Angelos propterea fecerit, ut isto munere fungerentur.

2. Sic Moyses mittit Legatos ad Regem Edom, qui dicerent: Ecce in urbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis (i. e. non longè distat à regno tuo) constituti, obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam. Num. 20. vers. 14. & seq. Deut. 2. vers. 26. Mittit legatos ad regem Hesbon, de deserto Kedemoth ad Sihon.

3. Homerus, scriptor post Moysen antiquissimus, multis in locis legationum facit mentionem. Legationibus usos fuisse Græcos & Trojanos constat, ut & Latinos temporibus Æneæ, quod multis locis ex Poeta confirmatur Lib. 10. Æneid.

*Nuncius ingenti per regia tecta tumultu*

*Ec. eruit, magnisq. urbem terroribus implet,*

**Q**uod decimo libro ad alium Legatum Turnus mittit, quem ita alloquitur:

*Nuncius hæc Idmon Phrigio mea dicta tyranno*

*Haud placitura refer.*

Et alibi.

*Eece super mæsti magni Diomedis ab urbe*

*Legati responsa ferunt.*

4. Quicquid sit statim cum discretæ gentes, regna condita, dominiaque distincta fuerunt, Legationis extitisse nomē



verisimile est. Inter eos quippe, inter quos est aliqua communio juris, ut inter gentes est Respublica atque reges, necesse fuit officia negotiaque intercedere: & cum istæ personæ convenire nolunt, vel sæpe etiam non possunt; Sic civitates certè nunquam queunt: per necessarium profectò & illud fuit, ut alii constituerentur, qui tales personas repræsentent, & eorum nomine negotia expediant.

5. Ex quo simul Legationis necessitas elucet. Nam cum verbi gratiâ, modò in Anglia, modò in Hispania, modò in Italia, Rex Galliarum, quod agat, habet, quod vel regni salutem, vel amplificationem & accessionem concernit, nec ipse eo ire potest, alieno ore cogitur uti, Legatos mittat necesse est, quorum facundia & prudentia res agatur. Hinc apud Procopium lib. 2. de bello Persico. Bellisarius ad Legatum Chosrois: *si quid, ait, à conterminis gentibus desideratur, id postulatum iis mittitur per Legatos.*

6. Multa non raro inter absentes commode per literas explicari posse, nullum est dubium. At quo secretiora sunt, magisque celanda, eo minus literis committenda. Perquam facile enim & magno cum periculo multorum, in eorum manus, quos minimè volumus, incidere possunt. *Besold. de legat. c. 1.* Vulgatum est illud Litera scripta manet: Severus imperator Clodio Albino interfecto, statim literas inquiri iussit: ita ut inveniret, ad quos ille scripsisset, & qui ad eum scripsissent, omnes illos, quorum epistolas reperit, hostes à senatu judicari fecit, ipsosque interemit, ac in ararium publicum retulit bona eorum. *Capitolinus in Albino.*

7. Non opus est, ut longius abeamus, recordemur modò bellorum & turbarum, quas concitarunt literæ illæ in Cancellaria, ut vocant, Anhaltina, post Pragense prælium, inventæ. Unde non immeritò summo opere laudatur, quod Suetonius de Othone imperatore refert, qui jam jam moriturus, quicquid epistolarum erat, ne cui periculo aut noxæ apud Vitellium forent, concremavit.

8. Non antiquum modò esse usum Legatorum, sed &

A 3

non



non minus utilem, quam fructuosum jam ostendendum est. Fateor quidem, dicit *Besold loco cit.* ultro lubens, multa tutius ab ipsis principibus expediri. Nam & per se negotia sua, si ita dignitatis rerum ratio, vel rerum gerendarum conditio, aut personarum quibus cum agendum est, qualitas exigit, gerere possunt magnates. Sic videmus hodie (*Adducit Brunum lib. 2. de Legat. c. 4.*) inter maximos principes, & maxime inter eos, qui sunt consanguinitate aut aliâ necessitudine conjuncti, observari, ut negotia secretiora inter se potius, quam per Legatos agant: ita quod in comitiis nonnulla negotia indecisa maneant, in causa putant esse, quod non presentes hisce principes ipsi intersint. Ita etiam *Æneas* apud *Poetam* generis propinquitate fretus, maluit ipse per se, quam per Legatos ab *Evandro* auxilia petere. Sic enim *Evandrum* alloquitur lib. 8. *Æneid.*

*Non equidem extimui Danaum quod ductor, & Arcas,  
Quedq; à stirpe fores geminis conjunctus Atridis,  
Sed mea me virtus, & sancta oracula divum,  
Cognatiq; patres, tua terris dedita fama,  
Conjungere tibi, & satis egere volentem.  
His fretus, non Legatos.*

9. Subjungit tamen statim *Besoldus*, aliam esse rationem, si cum hostibus, exteris principibus, longeque distitis agendum est. Item in tractatione sive colloquio de pacificatione instituto consultius esse, ut per Legatos, viros bonos, & prudentes res expediatur, nec principes ipsi colloquutioni intersint. Et sanè tutissimum, & propter multas causas necessarium, quicquid controversiæ & negotiorum est per Legatos componere. *Cavere debent, inquit Philippus Cominaeus Rerum Gallicarum scriptor fidelissimus, ne in colloquutionem principes ipsi veniant; sed per legatos viros prudentes, qui, quod utrinque peccatum est, sanare possint, sua negotia, consicant.*

10. Maximo enim fieri principum & totius Reipublicæ damno, si principes ipsi in colloquutionem descendant, ex variis inde pullulantibus malis, & incommodis videre est. Audiamus iterum *Philippum Cominaum lib. 2. c. 8.* ita differentem.



imprudenter faciunt principes aequali potentia praediti, meo quidem iudicio, ait, quod in colloquutionem ipsi descendant, nisi forte ea sint aetate, ut praeter jocos & ludum nihil spectent aliud. Nam posteaquam grandiores evaserunt, & aemulatio aliqua inter ipsos coepit oriri, quod fere fit, non est consultum, ut ipsi congregiantur, & longè praestat, ut controversias, & quicquid est negotiorum, curent per Legatos, viros bonos atq; prudentes componi.

11. Alii illis elegantius sunt vestiti, nascitur ex eo jocus & ludibrium; atq; ita fieri necesse est inter eos qui lingua & sermone & moribus differunt. Ex ipsis principibus alii aliis sunt decentiores & aspectu magis honesto: iis jucundum est predicari à multis neq; id fieri potest, absq; alterius, qui deformior est, vituperatione: Non rarò etiam accidit, ut alius ob liberalitatem & nimios sumtus extollatur, alius ob parsimoniam contemnatur; quæ omnia perquam facile fomitem litis & occasionem belli causare possunt. Edoceri id potest uberrimè historiis & exemplis, ubi cruenta sæpe bella, & æternæ fere dissensiones inter principes & magnates ex his & similibus cõgressibus ortæ fuerint. Adducemus nonnulla ex Cominao.

12. In finibus Gallia & Hispania Henricus I V. Rex Castilia & Isabella Regina Arragonia, Henrici Castilia Regis soror & Ferdinandi Catholici uxor, ad dirimendum diffidium de futura successione in regno Castilia conveniebant. Henricus enim filiam habebat ex Johanna, Edvardi Portu Gallia Regis filia. Sed eam notham & spurciam dicebat Isabella, cum constaret Henricum esse corpore malè affecto, ut liberos procreare non posset. Huic colloquio litis & controversia arbiter aderat Ludovicus XI. Galliarum Rex. Bis modò colloquebantur, neque prolixè admodum: Ecce ipsorum famuli domestici, qui Bajona habebant hospitium, primo statim adventu inter se pugnarunt. Henricus Castilia Rex erat deformior, & cultu corporis invenusto, & ridebatur à Gallis. Ludovicus brevibus utebatur vestimentis, & adeò neglectis ut nihil supra. Pileum gestabat diversum ab aliis, & huic affixa erat imago plumbea. Hanc tenuitatem ridebant Hispani, atque parsimoniam tribuebant.



buebant. Atque ita tunc discessum fuit, excitatis utrinque ludibriis. Et cum antea inter utrosque constans amicitia, coepit ab eo tempore relanguescere.

13. *Carolus, cognomine audax, Burgundiae dux* magno multoque labore obtinuit convenire cum Friderico imperatore, ubi ingentes mirandosque sumtus fecit, ostendendae magnificentiae suae, tractataeque sunt multae res Treviris, quo loco congressi erant, inter caetera & matrimonium liberorum, quod postea confectum est. Cum plures dies simul fuissent, in salutato Duce imperator abcessit, magna ejus insigniumque contumelia, nunquam postea nec ipsi, nec subditi ipsorum sese invicem amarunt. Germani sumptuositatem & magnificentiam ducis incessabant, superbiae fastuique ascribentes. Burgundos offendebant tenuis imperatoris cultus & comitatus exiguus. Eo usque processu temporis altercatum est, ut inde natum sit bellum ad Neussam.

14. Eduardus Angliae Rex apud Atrebates per biduum fuit cum Carolo Sororio suo; dissidebant inter se ipsius familiares; Ultraque factio Duci suas res commendabat. Hic alteri favebat magis, unde odia mutua incresebant. Tamen auxilio Caroli Eduardus Regnum recuperavit, accepto exercitu, pecunia & navibus, fugatoque Comite Warwicio, a quo pulsus fuerat. Nihilominus hoc beneficium tanti non fuit, quin ab hoc congressu neuter amaret alterum, uterque de altero male sentiret, & loqueretur.

15. Ad eundem Ducem visitatum venit eodem fere tempore comes Palatinus Rheni, aliquot dies Bruxellis substitit, ubi nullo non honore comitateque, coclavibus insigniter exornatis, exceptus atque tractatus est. Aulici Burgundiones Germanis exprobrabant incivilitatem, vestimentis sordidis, ocreisque conspectis, super lectos splendide stratos projectis, quodque minus omnino culti atque elegantiae studiosi essent, quam nostri homines, principemque ipsum minoris multo, quam antea faciebant. Germani contra ineptiis talibus velut molestè latis pompam totam aulicæ vanitatis vitu-

pe-



perabant : Ad summam , nunquam exinde bené & isti sibi invicem voluerunt , nec quicquam grati alter alteri fecit.

16. Solent etiam non raro Principes cum periculo vitæ collocutionibus interesse. Johannes Burgundiæ dux Ludovicum Valesium , ducem Aurelianensem clam noctu interfecerat , ob exortam inter eos æmulationem & simultatem de principatu ; dum ambo propter valetudinem Regis Caroli VI. primas administrationis partes obtinere studebant. Burgundus illico descendens , collectis copiis , quoniam desperatam videbat Regis valetudinem , & factionibus sciebat divisos esse animos multorum , incursionibus Galliam vexabat. Eò deducta tandem res fuit post multam disceptationem , ut Carolus VI. compositione cum eo facta , publicis literis fateretur , cœdem illam sui fratris , jure ac Reip. bono factam esse. Ast Aureliani Ducis filii , Regis contestationem improbant , & ab eo , qui parum sanæ mentis esset , profectam dicebant . Sicque recrudit odium , eoque tandem deducta res fuit , ut Carolus ejus nominis VII. Galliarum Rex apud Monstrelum ad confluentiam Sequanæ & Matronæ cum ipsis in collocutionem veniret : ibi tum Burgundus in conspectu Delphini , ad quem transierat , fuit interemptus , à quibusdam ducis Aureliani familiaribus , quos ad colloquium Delphinus adduxerat.

17. Hac de causâ motus Ludovicus XI. Gallorum Rex , noluit cum Eduardo Angliæ Rege in collocutionem prius venire , quam de sepimento bene & aliis prospexerat. Eligunt enim locum insidiis non opportunum ad Somiam fluvium , ad quem diversis itineribus commeare possunt. Ubi convenit de loco , placuit efficiendum esse pontem , in quo illi congregarentur. In medio ponte fit cavea mediocri altitudine , qualibus coerceri videmus Leones , ejusque foramina erant ea magnitudine , ut brachium aliquis laxè inferere posset . Superne tota erat contabulata , pluviarum arcendæ causa , ita quidem ample , ut duodeni consisterent. Ea cavea completebatur utramque oram pontis sic , ut transitus in alterutram partem nullus pateret. Ad flumen solum erat una scapha

B

cum



cum duobus vectoribus; sic super pontem exaëdificatum so-  
pimentum, ut per nullum ostium aliis ad alios pateret aditus.  
Et hoc modo pax fuit confirmata. Quod si etiam iste locus,  
ubi convenerunt Carolus VII. & Burgundus, ita fuisset a-  
ptatus, ut occasio nulla extitisset tangendi, nulla caedes per-  
petrata fuisset.

18. E re igitur principum & rerum publ. est agere per  
legatos, & horum opera foris cum vicinis & exteris conversa-  
tionem & tractationem instituere. Patet illud ex exemplis,  
quæ Philippus Cominæus loco citato adduxit, & pluribus aliis,  
quæ brevitati studentes omittimus.

*CAP. II.*

**De VARIIS Legatorum appellatio-  
nibus.**

*THESIS I.*

**L**egatos esse personas publicas, quæ sacratione nomine  
sine Imperio mandata alterius referunt constat. Varia a-  
fortiuntur nomina, quæ ex parte à mittentibus, partim à mu-  
nere, quod exequuntur, partim à belli vel pacis tempore, de-  
sumpta sunt. Sic aliter apud Græcos, aliter apud Latinos,  
aliter denique apud alias nationes appellantur. Recensebim⁹  
autem nos ordine nomina, Synonima, & analogia, & unde de-  
sumpta sint, quæ etiam adhibitæ simul fuerint ceremoniæ, &  
verba, paucis docebimus.

2. Vocantur Legati, à legendo, quod publicè Lecti mit-  
terentur, qui ex tota multitudine eligebantur, & digni, ut mit-  
terentur, judicabantur. vel ab eo ita dicuntur, quod publicè le-  
gantur & ablegantur, hoc est mittantur, imitantur hoc  
Germani, qui eos vocant *Gesandten*.

3. Nuncios eos vocat Cic. lib. i. Tuscul. Quæst. quod  
mandata annunciant: Monet quidem Kirchnerus lib. i. c. i.  
de L. §. 7. Legatum differre à Nuncio, quod hic sine solennib⁹,  
ut inter amicos fieri assolet, sine pompa & strepitu, tum quod  
privatim, de rebus privatis veniet: Denique ab illis, qui Legati  
mit-



mittendi jus non habent, venit etiam nullius missu, à se quandoque & ipse: Adducit etiam testimonium Livii sat dilucidum Asdrubalem ac Syphacem (de Carthaginensibus loquitur) per literas nunciosque, postremo etiam per legatos accersunt. Per literas nunciosque; ut amici, & collegæ, & monitores privati, sine solennibus; Postremo per legatos, ut magistratus autoritate & severitate publica. Observandum item apud Virg. Æneid. l. ii.

*Nuncius ingenti per regia testa tumultu*

*Ecce ruit, magnisque urbem terroribus implet,*

Hic quem vides, neminis missu à se ipso irruit, & eodem libro Alium Turnus emittit, non legatum sed nuncium, quem ita alloquitur:

*Nuncius hæc Idmon Phrigo mea dicta tyranno*

*Haud placitura refer.*

Nec enim Turnus, etsi alibi princeps erat, in Latini tamen Regis imperio militans, legati mittendi potestatem habebat, sed nuncii: id quod etiam ex sequentibus perspicuum est, cum non Turni privata, sed Latini Regis publicâ autoritate fuerit Æneæ nunciatum; sic enim prudentissimus poetarum subjicit:

*Æneas acuit Martem, & se suscitât ira,*

*Oblato gaudens componi fœdere bellum, & c.*

*Regique jubet responsa Latino*

*Certa referre viros, & pacis dicere leges.*

Non igitur unus ille Idmon à Turno jussus ire nunciatum, sed plures è Latino missi legati fuere de re ejusmodi; quæ, quoad Turnum, erat quidem privata, quod ille, ut miles in exercitu Regis Latini primarius, duellum Æneæ obtulerit: Quoad vero Regem erat causa publica, quod in illo duello hic belli finis verteretur, ut victori & Regis filia & regnum dotale crederetur. *Hact. Kirchnerus.*

4. Dicuntur oratores Sic enim Virgil. lib. ii. Æneid.

Centum oratores Augusta ad maria Regis

Ire jubet. & alibi:

Jamque oratores aderant ex urbe Latina.

Eodem modo Livius. *Multitudo ingens pacem poscentium primò seditioso clamore conterruit: Deinde vocare senatum, referre*





de Legatis ad Cn. Martium mittendis, coegit. Acceperunt relationem Patres, postquam apparuit labare plebis animos, missi de pace ad Martium oratores, atrox responsum tulerunt. Nec enim pacis tantummodo, sed & bellorum negotiis adhibebantur. Varro: bellum inquit, nullum nisi pium geri oportere: ac prius faciales quatuor mittebant, quos oratores vocabant.

5. Controversia interim est inter autores de significatione vocis oratoris, an æquipollens sit voci legati? & ita ejus Synonymum? Num certa legatorum species? & an omnes legati oratores olim dicti, num verò primarius? Conradus Brunus, ut de eo refert Bessold. lib. cit. quem etiam sequitur Budæus, putat Oratorem in hoc distingui à legato, eumque hoc nomine appellatum, qui veniat deprecabundus. sic apud Terentium in Prologo Hecyræ.

Orator ad vos venio, Ornatu prologi  
finite Exorator sim.

Wolff. Heiderus disput. de Legatis th. 18. hoc nominis ei imponi dicit, qui princeps est Legationis. Kirchnerus loc. cit. dicit, repugnare authorum veterum usum qui indifferenter modo oratorem dicunt. Sic centum illi, quos oratores ex Marone, adduximus, omnes dignitatis nomine oratores appellantur.

Hodierni tamen politici, ut monet Kirchnerus, sermonis & sensus usu oratorem non quemvis, sed maximos maximorum Regum & Rerum publicarum legatos vulgò nuncupant: Quæ admodum imperatoris legatum ad portam i. e. ad aulam et palatium Turcium emissum κατ' ἐξοχὴν oratorem, tanquam proprio officii & dignitatis nomine dicimus. Ita & Venetorum legatum ad Cæsarem, ad Pontificem, & aliorum ad alios eodem nomine legimus: qui etsi orationis habendæ munere non perfungatur, sed per alium loquatur, nihilominus tamen orator dicitur, quod legationis totius caput sit. Talis Ferdinando imperante erat Augerius Busbequius, cujus doctis-



ctissima epistolæ, quæ mores & ceremonias Turcærum luculentissimè describunt, in hodiernum diem extant.

6. Nec tantùm controversiæ de significatione, sed etiam notatione & vocis deductione. Alii etiam legatos propterea oratores appellari dicunt, quod legati munus bene dicendi artibus, quæ oratoris forensis propriæ, maximâ ex parte elucescat, & antiquitus eloquentissimus quisque ad Legati administrandam provinciam electus. Alii ab orando & deprecando deducunt, quasi ad hoc missi, ut culpam deprecarentur. At quantum ex Sexti Pompei Festi de verborum significatione fragmento cognosci potest, aliunde vocem deducit, sic enim inquit p. 31. In exemplari Biblioth. Fulvi Ursini *oratores ex Græco ἀπὸ τῶν ἑσθῶν λέγονται, quod ad Reges & Gentes, qui missi erant, pro Republica nostra à populo Romano, iis conceptis verbis solerent Deos ἀπὸ τῶν θεῶν ἰ. e. testari.* Idem Sextus Pompejus Fest. in lib. 20. de verb. signif. in litera O. *orare antiquos, inquit, dixisse pro agere, testimonio sunt, quod & oratores & ii, qui nunc quidem legati, tunc verò oratores, quod Reip. mandatas partes agebant.*

7. Dicuntur interpretes legati, sed in latiori significatione: est enim potius legati minister interpretes. Addebatur autem interpretes legato honoris & necessitatis gratia, ut colloquentium sententias, & verba vernaculè redderet, & linguam in aliam converteret. Propriè autem legatus non est, cum sine solenni missione sive jure legationis, verba tantummodo, & sententias legati aliis interpretabatur. Sic Catoni olim ad Græcos missio interpretem additum esse legimus cum Græcorum linguam eo tempore non calleret. Turcæ & Persæ, quando oratores mittunt, hunc morem observant, ut semper legatis certos interpretes adjungant. Ita, Antonius Scharleius An. lus Legatus Persicus, ante aliquot annos in Germaniam missus, interprete utebatur, licet ipse linguas optime callebat.

8. Simili modo Agentes distinguuntur à legatis: Hi enim





enim non tam amplam habent potestatem, nec repræsentant personam principis, ita nec eam habent sessionem, licet legatorum habeant securitatem. Duplicem Besoldus lib. cit. tradit causam, quare agentes mittantur. Primò, dicit, mitti legatorum loco, quando metuitur, ne legati, ut decet honorentur, vel aliis postponantur. Inde Galliarum Reges non habent in aula Cæsaria Legatum, sed agentem, nempe propter sessionis certamen, quod Galliarum Regi est cum Hispano. 2. mittuntur Agentes sumptuum minuendorum causa, & ut plane magis ac sine strepitu negotium expediatur. Alii inter Legatos & agentes mediam speciem interponere solent, quos residentes vocant, agentibus superiores, inferiores legatis.

9. Huc etiam non incommodè referuntur illi, qui secreto mittuntur, ut occulta negotia tractent, & occultè, quæ prodita suspicionem aliis præberent sinistram, ita *Hottomann.* N. 5. Angliarum Reginam & principes Germaniarum nonnullos habuisse Agentes secretos Venetiis. Nam ob diversitatem religionis noluit senatus videri amicitiam arctiorem colere cum illis: hi necesse habent ut sint versuti & privato habitu multam tegant calliditatem.

10. Caduceatores dicuntur legati, quos Græci *ἠγευρας* vocant. Officium Caduceatorum describit Besoldus his verbis: *Horum interventu bella indicendi mos erat, qui mos totus manavit ab illâ priscâ fide, quæ nemini bellum inferri patiebatur, nisi id prius prædictum esset, aut indictum.* Eorum item ministerio pacta solemnia duorum pluriumve imperiorum, adhibito sacrosociali apparatu, certisq; aliis usibus peragebantur. Isti etiam quoties quoque mittenda esset legatio præmittiebantur ad impetrandam legatis securitatem. Illorum (addit Besoldus,) idem munus fuit curare pompas, ad hosq; pertinebat cura ordinanda publicæ & sollemnis alicujus pompæ. Item horum ope ipsa dicta terroloqua sæpe pronunciata & minæ tumide intentatæ fuerunt. Fuit simplex ministerium, ea re, quod caduceator nihil addebat de suo, sed illa ipsissima verba pronunciabat, quæ ipsi essent  
man-



mandata. Verum quod pompas attinet, nullum in antiquitate vestigium.

11. Dicuntur autem Caduceatores à caduceo, Mercurii virga, quâ ille ad dissidia & discordias tollendas utebatur, à cadendo dicta, quod contentiones & bella cadere faciat. quam virgam etiam legati gestare solebant. Erat autem baculus in speciem duorum draconum maris ac foeminæ figuratus, qui parte mediâ sui voluminibus, nodo, quem Herculeum vocant, sibi alligantur, primisque partibus reflexi, in modum circuli oscula jungunt. Hanc virgam Apollo dicitur invenisse, & Mercurio donasse, lyrâ vicissim ab illo acceptâ. De Draconibus autem Caduceo additis hanc afferunt rationem. Mercurium cum hanc virgam tenens in Arcadiam (Peleponnesi regionem) proficisceretur, duos serpentes pugnantes invenisse, virgaque interposita dicto citius prælium interemisit. Ad cuius rei memoriâ posteri caduceum ad duorum draconum similitudinē fecerunt vid. Macrobius lib. 1. Saturnaliorum & Plinius lib. 29.

12. Et ita Caduceatores primo tempore fuerunt legati pacem petentes, quod & uberius docet A. Gellius lib. 20. N. Att. c. 27. Cum enim par quondam fuit vigor & amplitudo populi Romani & Pœni, Q. Fabius, Imperator Romanus dedit ad Carthaginenses epistolam, ibi scriptum fuit: populum Romanum misisse ad eos hastam & Caduceum, signa duo belli & pacis, ex iis utrum vellent, eligerent. Quod elegissent, id, unum ut esse missum existimarent. Carthaginenses responderunt; neutrum se eligere, sed posse, quæ attulissent, utrum mallent relinquere; quod reliquissent, id sibi pro electo futurum. Posterioribus tamen temporibus alia fuerunt Caduceatorum officia, ut patet ex thes. 10. Besoldus etiam adducit Paschalius l. 5. & Albericum Gent. l. 1. c. 18. quos videre licet.

13. Caduceatores tamen, si Plinio credimus, l. 29. c. 3. non Romanorum ritu, sed exterarum gentium missi. Primo autem originem habent ab Ægyptiis. Postea etiam Græci Caduce-



duceatoribus usi sunt. Hodie eorum loco utimur tubicini-  
bus, Trompeter aut etiam Pauker / qui itidem inviolabiles  
sunt, quemadmodum Caduceatores, de quibus Cato. Ca-  
duceatori nemo homo nocet. In bello Helvetico ante cen-  
tum annos eorum vice usi sunt utrinque pauperibus puellis.  
Tanto enim odio illud bellum gerebatur, ut non fuerint viri  
securi, etiam Caduceatoris munere fungentes.

14. Romani utebantur Fecialibus, qui solenniter missi  
ad fœdus ferendum, aut ad indicendum bellum proficisce-  
bantur, aut ad res repetendas, aut ad jubendum aliunde ali-  
quem decedere; Dicuntur à faciendo (ut autor est Festus)  
quod belli pacisque faciendæ penes eos jus erat.

*Feciales* (sunt verba Varronis lib. 4. de lingua Latina) *fidei pub-  
licæ inter populos præerant. Nam per hos fiebat, ut justum concipi-  
peretur bellum & ut fœderè fides pacis constitueretur. Neq; enim  
licebat bellum alicubi inferre, nisi hi, & justa causa susceptum,  
deklaravissent, & prius indixissent.* Itaque bella tardè & nulla  
licentia suscipiebant, quod bellum nullum nisi pium puta-  
bant geri oportere. Fuerunt autem numero viginti, ipso um-  
que maximo nomen fuit Pater patratus, tantæ homo sanctita-  
tis, ut sæpius depositarius fieret earum fœminarum, quibus  
pepercerat hostica manus. Ex his mittebantur aliqui ante-  
quam conciperetur bellum, qui res ablatas repeterent, quos  
oratores vocabant. Cic. 7. Verr. *habemus, inquit, hominem in  
fecialium manibus educatum, unum præter cæteros in publicis re-  
ligionibus fœderum sanctum & diligentem.*

15. Operè præteritum est ascribere verba Alexandri ab  
Alexandro, quibus non tantùm hæc confirmantur, sed etiam  
minimè illustrantur. Sic autem inquit lib. 5. cap. 3. Genial.  
dierum. *Feciales, quos fœderibus sancendis, & rebus repetendis  
ac bellis indicendis, Romanos habuisse constat, à Tullo Hostilio seu  
Anco Martio, ut verò alii, à Numa Pompilio creatos fuisse liquet,  
qui ab antiqua gente Equiculis jura & verba solemnia, quibus res  
repetuntur, & bella indicuntur, accepere. Horum collegium à  
principio viginti fuere, quibus, & Patri patrato, ut nunquam*  
lineo



lineo amictu uterentur, proprium fuit: qui tametsi fœderibus iudicandis, & bellis indicendis, aut rebus repetendis, quæ præter jus præter q̄ fas ademptæ sunt adhiberentur: tamen si qui legati pop. Romani, qui jure gentium sancti sunt, à quo vis populo aut natione violati forent, ut hi dederentur, qui jura gentium temere violassent, per feciales cavebatur. Erat enim veteribus jus legatorum sanctum & inviolabile, cum hominum præsidio munitum, tum divino jure defensum, quod etiam inter bella & hostium tela incolumè servabatur. Fuit ergo proprium collegii fecialium, tam de bellis justisq̄ fœderibus, pactionibusq̄ & conditionibus populorum, Regum, terrarum & nationum, quam de illatis injuriis, sociis, fœderatisq̄ gentibus cognoscere, raptaq̄, & hostili modo devastata, belli jure repetere: tum si hostes æqua postulent, aut si præter legem fœderis se aliquid perpeffos querantur, si sua sponte, aut læsi & laceffiti arma sumpserint, si infida pax servanda, si induciæ aut bella justè indicta & pacta sint, si petita ex fœdere danda, si autores defectionis deprecandi, si contra fidem conventionis & jus gentium venire liceat, animadvertere: belli pacisq̄ jura exequi, & perpenso judicio æstimare. Quæ verba juris fecialis sic habent: belli, pacis, fœderum, induciarum, oratorum, feciales iudices sunt.

16. Quo ritu autem quibusq̄ verbis fecialis pop. Rom. bellum indicere solitus fuit, exponit nobis A. Gellius l. 16. cap. 4. Cinnius inquit in l. 3. de re militari: Fecialem pop. Rom. bellum indicentem hostibus, telumq̄ in agrum eorum jacentem, hisce verbis uti scripsit. Quod pop. Hermundulus, hominesq̄ populi Hermunduli adversus populum Romanum bellum fecere deliquereq̄ quodq̄ pop. Romanus cum populo Hermundulo hominibusq̄ Hermundulis bellum jussit: oh eam rem ego populusq̄ Romanus populo Hermundulo hominibusq̄ Hermundulis bellum indico facioq̄. In signum securitatis gestare soliti sunt sagmina, sive verbenas.

17. Quæ autem sunt observatæ ceremoniæ & ritus, qua etiam autoritate fœdus initum & sancitum, edocet nos iterum Alexander ab Alexandro loco cit. Ea fœdera, inquit, pactionesq̄ quæ cum sociis inire decet, feciales sancire, aut pacta

C

con-





concipere, haud aliter poterant, quam si consulis aut praetoris au-  
toritate intercedente, senatusconsulto jussuq; populi permissum  
foret: injussu enim populi, aut citra senatus auctoritatem, nihil  
sanciri posse quod populum teneat, haud dubium est. Fiebat enim  
senatusconsultum in haec verba, ut privas verbenas privosq; lapi-  
des praetorem poscerent: qui verbenam ex arce, & sagmina (her-  
ba enim genus est) ac lapidem silicem ex templo Jovis Feretrii  
daret, fecialesq; ea secum ferrent, ac porca adhibita, vetere prae-  
fatione priscis carminibus ad praestitutum diem in foro, seu ubi con-  
venerat, enunciatis, fecialis sceptrum manu tenens, pro Jovis si-  
mulacro, tanquam is foederi adhiberetur, filo lanæ capite velatus,  
& verbenis coronatus, Jovem, Martem, ceterosq; obtestari Deos,  
& dira obsecratione precari debebat, ut si quis eorum foedera vio-  
lasset, aut illa sciens falleret, ita illum Jupiter feriret, quemadmo-  
dum ipse porcam percuteret. Quibus obtestationibus quàm san-  
ctissimè prolatis, secundum rem divinam precationemq;, lapide  
silice porcam percutiebat: mox aqua & igne in sacris adhibitis,  
illam immolabant: qua caesa, jura pacis & foedera conventa, ita  
esse ritè putavere, hanc fidem socialem & sanctissimum foedus esse  
arbitrati, quo nihil sanctius firmitusq; fuit: Idq; ante meridiem,  
& primo diluculo: nam post meridiem eas precationes facere, aut  
foedus percutere non licebat. A principio tamen condita urbis, in  
foederibus pacis pactionibusq; pro verbenis myrtus sumebatur, quae  
foedera pactionesq; postquam cum exteris & ultimis gentibus inita  
erant, Romani in templo Capitolini Jovis, columna aut aeneis ta-  
bulis insculpta, ut perpetua monumenta extarent, nonnunquam  
in fastos & annales referebant, aut in aede Jovis Pistii in clypeo  
ligneo, corio bovis immolati inscripta. Plura de his vide apud au-  
torem cit.

18. Apud Graecos nisi praekonibus adhibitis, legatos mini-  
mè hostium fines ingredi decebat, neq; legationis munere fungi  
quonquam, nisi prius infusa aqua, ab eisdem manus abluisent, Jo-  
viq; coronatis poculis propinassent. Hi tamen legati qui cum pa-  
tris sacris Olympum aut Pythiam missi erant, sacri: qui vero fo-  
dera



æra percutiebant, quasi pacis arbitri & ioterpretes  $\sigma\pi\omicron\nu\delta\omicron\Phi\omicron\gamma\omicron\iota$  dicti. Græci in Jovis Olympii templo, & in arce Athenis, tanquam in abdito quodam, plerumq; tabulis ex antiquo ære ut essent testata monumentis, sancta & sacrata habuere: nonnunquam in Isthmo aut ludis Pythiis, fœdera iſta, & leges dictas, pactionesq; erectis titulis perpetuo tempore duraturis publicabant. Athenienses plerumq; intra urbem, Lacedæmonii in Amycleo societatum & fœderum tabulas fidei custodia servabant. Feruntq; Athenienses nunquam nisi in veste pulla, & malis victos, pacem & fœdera iniisse. Quare significabant, suorum ciade admonitos, & ultima ductos necessitate, post innumeras cædes viribus extenuatis pacem petere. Hæc iterum Alexander ab Alexandro, qui videri potest loc. cit.

19. In fecialium numerum successerunt apud Germanos Heroldi, die Herolden / ut non perperam Æneas Sylvius Epist. 126. sentire videtur, ubi latè de iis agit. Hoc vocabulum alii derivant, quod dicti sint quasi heroes, sed allusio non originatio est. Sunt autem dicti ab **Heer** / quod est exercitus, & **Alt** / quod est senex; erant enim in exercitu seniores & graviores.

20. Si fides habenda nonnullis exemplaribus, legati etiam olim lenones dicti fuerunt, à persuadendo forsan, & lenocinio verborum. Sic enim Justinus l. 2. Historiarum. *Primus Scytis bellum indixit Vexoris, Rex Ægyptius, missis primo lenonibus, qui hostibus bellum indicerent;* Ad quem locum Bongarsius. *Hanc vocem omnes (intelligendo lenonibus) præter unum veteres agnoscunt, & probat P. Danielis M.S. Glossarius Leno i. e. mediator, inquit, qui apud Italos dicitur Ambassator, unde Trogus Pompejus in 2. Hist. præmissis lenonibus, qui hostibus parendi legem indicerent.*

21. Græci  $\pi\epsilon\sigma\sigma\epsilon\upsilon\tau\alpha\varsigma$  aut  $\pi\epsilon\sigma\sigma\epsilon\iota\alpha\varsigma$  vocant legatos ab eo forsan, quod eos oporteat esse senili prudentia præditos; itè apocriuarii appellantur  $\delta\iota\omicron\tau\epsilon\delta\iota\omicron\kappa\epsilon\iota\upsilon\epsilon\delta\alpha\iota$ , à respondendo ita dicti, quod in cõciliis & Synodis nomine Pontificum



rificum & Episcoporum sententiam dicerent. Hebtæi vocant  
משפח Ps. 68. vers. 32.

22. Aliis Ambasiatores dicuntur, quæ vox hodie  
frequentissima apud omnes. Itali enim dicunt Amba-  
siatore, Galli Ambasiadeur, Hispani Ambaxator,  
& ab his Germani Ambasiator mutuo sumpserunt; seu  
potius ea post liminio rediit ad nos. Dicitur autem hæc vox  
descendere à vetustissimo Celtico vocabulo Ambachte, ex  
qua dicitur manare Ampt / Amptman / vel Amman. Am-  
bachte enim significasse operam probat Besoldus loco cit. qui  
videri potest.

Si quæ aliæ sunt legatorum appellationes, in cap. de le-  
gatorum divisionibus de iis erit dicendum. Nos jam hanc Di-  
sputationem bono cum Deo ita finimus.

## Corollaria.

I.

*Quid sentiat Martinus Becanus de fide  
hæreticis in puncto religionis servandâ, nos  
ostendimus hoc Syllogismo; ubi major &  
minor Jesuitæ.*

*Promissio vel pactum de re illicitâ servan-  
dum non est. In manual. l. 5. c. 15. §. 10.*

*At pactum quo promittimus tolerare nos  
velle hæreticos, quando vel possumus impe-  
dire, vel ex promissione non speramus majus  
damnum, est de re illicitâ. vid. Bec. l. 5. man.  
c. 16.*

*Ergò*



Ergò pactum quo promittimus nos tollerare velle hæreticos, quando vel possumus impedire &c. *Servandum non est.*

## II.

*Num juramentum à Latrone vi extortum sit servandum? Dist. Res enim quæ promittitur aut est turpis & illicita, ut prodere patriam & sic servandum non est: aut non est res turpis, uti, si quis latroni promittit certam pecuniam summam, & tale juramentum est servandum.*

---

*Ad Convictorem suum.*

**N**onne decet *Fabrum* tractare *fabrilia*? Sed tu *Nominis* oblitus, *tibi Legataria* sumis  
 Discutienda sub auspicio *sane* & *omine*, *Manni*?  
 Recte: perge modò captis insistere, forsan  
 Tempus erit, quò dante Deo, feliciter olim  
 Legati possis defungi munere fidi.

*Job. Major D.*

---

*Præstantiss. & Doctiss. Dn. Respondenti*  
*Amico meo singulari de Legatis*  
*disputanti.*

**H**anc, *Faber*, *incudem* si crebro triveris *istu*,  
 Non equidem tribuet *Vulcanus* premia: sed te

C 3

Sua



Suaviter amplexu Pallas speciosa prebendet,  
Atq; Themis capiti ponet veneranda coronam.  
Sic jubet & Genius, clari poscuntq; parentes,  
Quorum si promptè calcabitur orbita per te:  
Juro tuæ patriæ decus ornatumq; futurum,  
Et nitidi nomen taciturnum sidera cæli.

gratulatur hisce Præses.

Sic est, ut dicunt: *Fabri fabricilia* tractant,  
Æquantur studiis nomina sæpè suis.  
Idque suo exemplo *Faber* nunc comprobat ipso,  
In *fabrica fabricat* gnaviter ipse sua.  
Mulciberis graciles non conficit ære catenas  
Senserunt quales, Marsq; Venusq; dolos.  
Ipse sed Aonia desudans impiger æde  
Elimat studio themata docta suo.  
Themata docta struit, mentem quæ fallere possent  
Et *Duce Sannimanno* ritè polire cupit.  
Tantam nunc meritò *Faber* tibi gratulor artem,  
Ut *fabricesq;* tibi magna brabeia precor!

M. Joh. Placcius Facult. Philosoph.  
p. r. Adjunctus.

Πείρα γ' Αἰσονίδης ἴην Κολχίδα γαῖαν ἵκανε,  
δέξαστ' αἰγυροῦσιν σὺν δ' ἐτέροισι δέρας.  
Πείρα κτεινομένων ἀπὸ χρύσεια μῆλα Δράκοντες  
Ἀλκμήνης υἱὸς καρτερόθυμος ἔλεν.  
Πείρα ἐς ὑψίπυλον Τρώων πόλιν ἦλθον Ἀχαιοί,  
τὴν τ' ἀλαπίξασαν, καὶ δεκάλωπ' ἔπει.

Πείρα



Πείρα καὶ συ πρῆς βῆσσις Μιχαὴλ ἀνεταΐζει  
Χ' ὡς οἶμαι πρῆσ βεὺς ἕσση ὁ σε μνίτερ

<sup>Gabriel</sup>  
M. Michael Hartman Meinungenses  
Theologia Stud.

**D**um scandis cathedram, Fautor, sub PRÆSIDE CLARO,  
Vivat judicium, linguaq; prompta precor!

Dn. Contubernali meo,

Gottfried Werner Isleb.

**D**u bist ja Geschicklichkeit /  
Wann / Herr Faber / du abländest  
Von der Erden-eitelkeit  
Dich zum Meer der Klugheit wendest /  
Du beweiset deine Kunst /  
Daß des Phebus grosse Gunst /  
Bey dir nicht sey umbsunst.  
Fort / Herr Faber / fahr nur fort /  
Hastu doch langst angefangen /  
Wirst in dem gewündschten Port /  
Schleunig vnd gewiß anlangen /  
Dann des Phebus grosse Gunst /  
Ist bey dir nicht gar umbsunst /  
Beweiß nur deine Kunst.  
Solch's wil auch Justinian /  
Welcher euch das Recht gegeben /

Drumb





AKT 52/10  
Drumb' geh frisch / geh tapffer dran /  
Weil du hast ein frisches Leben /  
Vnd beweise deine Kunst /  
Weil bey dir nicht ist vmbsonst /  
Des Phebus grosse Gunst.  
Tu / Herr Saber / fahr nur fort  
Mit den edlen Tugend - wahren /  
Wann du kommst an Ehren - Port /  
Wirst du in der That erfahren /  
Das des Phebus grosse Gunst /  
Weil du hast bewiesen Kunst /  
Bey dir nicht sey vmbsonst.

Job. Theil.

F I N I S.



1077



